






POËTAE POLON.
N. 130.
4617



Cim. 4617

II. c. 41.
4617


Poëtar polono-latini. 1820.


Schonei Andree: Palaemon seu Promni-
um Crasinianum in tumultu bellico con-
servatum

Cracoviae typis Andr. Petricovii. 1589.

U. a. 111

4617





Poet. 1520.

PALÆMON,
S E V
P R O M N I C V M
C R A S I N I A N V M,
I N T V M V L T V B E L L I C O
C O N S E R V A T V M.

*Ad Reuerend: D. Stanislaum Crasinum
Archidiaconũ Cracouiensem. etc. etc.*

*ANDREÆ SCHONEI Glogouien : publici in Acadē
mia Cracouiensi Professoris.*

C R A C O V I Æ,
Typis Andreę Petricouii. 1 5 8 9.

STANISLAO CRASI-
NIO MOECENATI SVO.

Andreas Schoneus.

*Vivis Crasini nobis, benefactaq; vivunt,
Incultum, at memorem, nunc Corydona cape.*

BIBLIOTECA UNIV.



JAGELLONICAY

Com. Qu. 4677

P A L Æ M O N,
S E V
P R O M N I C V M
C R A S I N I A N V M,
I N T V M V L T V B E L,
L I C O C O N S E R V A T V M.

Meliboeus, Corydon.

Quid video? Promnicumnè? aut vestigia fallunt Melib,
Deuia, & ignota deerro regione viaque?
Cuius agri hi pingues & culta noualia? cuius
Hæ saturæ pecudes? noua quæ domus emicat illic?
Sed video ecce greges inter Corydona iacentem.
Dic quibus in terris? cuium pecus, aruaq; cuius?

Quid vis? fortè tibi caligant lumina Bacho, Coryd.
Aut lupulo, quasi non hac ibas creber in urbem,
Ipse ego te toties vidi. tenet ista P A L Æ M O N
Prædia, P R O M N I C V M nostri dixere priores.

Nescio, quæ nostros vlulabat fama per agros, Melib,
Omnia circà urbem rura ignibus hausta, casaque
Omnes in cinerem versas, volucremque fauillam.

A ij

Vidimus

Vidimus ipsi etiam in cœlis incendia magna,
Flammarumq; procul longos splēdescere tractus.
Insuper Agricolaë Cererem dixere capillis
Impexis, similem bachanti errasse per agros,
Atquē impleſſe omnes lachrimosis vocibus auras.

Coryd. Audieras & facta hæc sunt; quis crederet ante?

Huc illuc oculos iacta, tristesque ruinas
Aspice, vbi stabant prius horrea, tecta, domusque,
Nunc nihil est; squalent luctu, mœstoq; vlulatu
Omnia. quis parcat lachrimis hæc talia cernens?
Illa vbi nunc trabibus constructa palatia pictis?
Illi vbi tot varijs halantes floribus horti?
Herbisque ignotis, peregrinaque arbore pulcræ
Vrbis deliciæ? furor atque licentia sæui
Militis, hæc foedè turbarunt omnia. nostro
Milite non vidi quicquam petulantius. ecce
Alta domus retrò, visu pulcherrima quondam,
Quàm foeda apparet, tristis sine nomine moles,
Imbribus, & pluuijs, ventisque obnoxia cunctis;
Illa Palæmonem magnum recreare solebat
Æstate: eius ibi sedes & regna fuere
Rustica: quò tota vrbs iuuenesq; senesq; ruebant
Lucibus effusi festis, Phœboque sereno.

Melib. Sed quæ tanta fuit præsentis causa salutis,
Tela inter media, atque hostes, vicinaq; damna?
Ipse

Ipse Deus Melibœe, & Heri nomenq; decusq;. Coryd.
Omnia seruarunt, quod non sperare licebat,
Nobis: salua domus, salui cum Coniuge nati
Dulces, salui horti, cumeræ, granaria, sepes:
Ecce greges ouium pingues, plenisque capellæ
Vberibus, lætæ en segetes & aratra, bouesque.

Ecquis herus vester, cui parcere nescius ipse Melib.
Mars parcit? nouitnè hominum discrimina miles?
Nā neq; nos, quamuis lōgè absumus vrbe, malorū
Exortes fuimus; quid sit bellum impium & hostis
Atrox, cum gemitu expertus; sensere rubentes
Isti oculi, pallorque oris: sensere perusta
Horrea, balantesque agni, rus denique totum.

Non illum nosti? fama super æthera notus, Coryd.
Hunc siluæ, luci que sacri, montesque loquuntur
Omnes, hunc arbuta sonant, fontesque lacusque.
Et quod mireris, tenet ille ingentia in vrbe
Tecta, domi templum est, fumantq; altaria semper,
Quæ nuper solido erexit de marmore: cuncta
Auro ibi & argento splendent, pictisque tapetis.
Sic habuit fratrem, cuius sacra tempora circum,
Infula fulgebat, gemmis auroque decora,
Stultus ego, vt vidi lucem flammamque putabam.
Non illo inferior noster; nam nomina magna
Nescio; turba illum vocat Archidiaconū, agrestis,

Custodem atq; Decanū alii, magnumq; Scholarū
Dicunt patronū: sunt qui quoq; Episcopū eundem
Aut esse aut fore cōmemorant. Sed qd moror istos
Ignotos titulos; illum venerantur, honorant
Omnes, & primo folio dignantur vbique.
Hic quoq; amat nostrā, quamuis sit rustica, Musā,
Sapeq; coram illo calamos inflamus agrestes.
Ipse etiam in siluis imitatur Pana canendo,
Et leges & iura sonat, charamq; Deorum
Progeniem Astræam diuino carmine dicit,
Discordes animos, aduersaq; pectora mulcens.

Melib. Fortè quoq; ille tenet villas, & prædia bina
Non procul à nobis; illis felicibus aruis,
Semper vbi Agricolaë, fœcundis horrea complent
Messibus, & lætas pascunt armenta per herbas.
Afsiduè surgunt illic noua tecta, domusq;,
Diruta cum stabulis, antiqua mapalia cuncta,
Vrbem fortè nouam statuet: viuaria lambunt
Vndique agros, vix tot vehit ingens vistula pisces.

Coryd. Aut dōini haud similes vestri, dic obsecro quales?
Cur properas, nondū redeunt ad mulctra capellæ.

Melib. Quantū humiles inter salices, altè emicat illex,
Quantum agni cedunt tauris & matribus hoedi,
Tantū inter procures effert sublime PALÆMON
Os humerosq; illiq; omnes me iudice cedunt.

At nostri


At nostri quales; rigida nos compede stringunt,
 Seruitioque premunt duro, sæuisque rapinis,
 Non secus ac si hostes essent, Mosciq; Getæque,
 Expilant miseros, spoliantq; vorantq; necantque.
 Haud opibus tamen immensis & diuite crescunt
 Censu: nuda illos æquè vt nos, vexat egestas.
 In tenues abeunt ventos, nubesque fugaces
 Cuncta Deo irato; vel enim luxuque feraque
 Ingluue rem omnem perdūt, vel perfidū & audax
 Agmen seruorum manibus furatur auaris.
 Non tecta instaurant, veteri collapsa ruina,
 Omnia fœda iacent, multum nocitura nepoti:
 Consumunt nondum sata arataque, spesq; futuras
 Vendunt, decipiunt alios, artesque dolosque
 Nectunt innumeros, fuluo potiantur vt auro,
 Thesaurosque ima moueant tellure repositos.


Ergo tuū semper tollemus ad astra PALÆMON Coryd.
 Nomen, & in cœlos pariter tendemus vtrasque
 Palmas, vt longos numeros feliciter annos.
 Ecce tuis aris violasque rosasque quotannis
 Ipse feram, spargamq; alijs beneolentibus herbis,
 Addam pruna, pyra atque nuces & mitia poma.
 Namque alij plenis vicini ab ouilibus agnos
 Crescentesque ferent vitulos, taurosque litabunt.
 Hæc tibi semper erunt, dum ferro scindet arator
 Terram,


Terram, dum salices carpent frondesq; capellæ.
Utq; STANISLAO, tibi sic pia vota feramus
Post tua fata utinam, sisq; omnibus alter ab illo.


Melib. O si vnus vestri gregis essem; mallem ego vobis
Pascere oues custos alienas, falceq; dura,
Sole sub ardenti flauas succidere aristas,
Quam proprias alibi segetes curare, pecusq;.
Hic ego vobiscum dulci consumerer æuo,
Nec mihi triste foret pallenti occumbere morti.
Iam mihi per saltus videor, per prata, per hortos,
Perq; greges vestros, properatis passibus ire.
Omnia vendam ergò, cum rus ex vrbe redibo,
Inq; tuos migrabo agros, fundumq; PALÆMON.











Biblioteka Jagiellońska



stdr0033889

